Michael Denis: Codices Manuscripti Bibliothecae Palatinae Vindobonensis Latini Aliarumque Occidentis Linguarum. Vol. I. Pars II.
Wien, 1794 Seite 1287
Quelle:
Copyright:

Rer. Mogunt. Nic. Serarii in Collect. *G. Chr. Joannis* T. I. P. 2. p. 707. lego: *Irrepsit Moguntiam hisce temporibus* (sub Conrado II. electo 1388) *Waldensium hæresis, adeo vt ea infames XXXVI. ciues Bingam abducti et ibidem igne plexi sint.*

XXXVI. *fol.* 289. *Tractatus de periculis Ecclesie*, addidit alia manus, *compilatus per Vniuersitatem parisiensem.* Est vero *Guilielmi a S. Amore Codd.* etiam DXLIII. et seqq. repraesentatus, incipiens: *Ecce videntes clamabant foris Angeli pacis amare flebant* &c. et alias inscriptus *de Periculis novissimorum temporum.* Ultimus hic paragraphus C. XIV. qui infit: *Si autem cetera praedictorum* &c. deest.

CCCXXX.

801 Codex membraneus lat. Sec. XI. Folior. 118. 8. eleganter exaratus, et rubricis distinctus hunc Titulum praefert: *De Prescientia dei et Predestinatione. Caput Primum Prime Libri Partis.* Initium: *Cum omnium que operatur trinitas prescientia eius dispositio et uoluntas actum precedat. oritur inuestigatio de prescientia dei. de prouidentia. et predestinatione. de uoluntate dei et potestate* &c. Opus ad caussam *Godescalchianam* pertinens in manus tibi venisse putes. Verum insumtis in praedictum argumentum *Capitibus* III. *Caput* IV. ita orditur: *Nunc de illa parte fidei est agendum. que ad sacramentum incarnationis pertinet.* &c. Ita V. de libero Arbitrio, VI. de tribus Virtutibus, quibus domus dei construitur, VII. de Timore Dei, VIII. de Baptismo &c. tractat, ut adeo Συμμικτα potius Dogmatico — Ascetica tradat Autor ἀνωνυμος, quam Opus aliquod partibus inter se nexis constans. *Pars* ejus I. censet *Capita* XXX. quorum ultimum exponit locum *Pauli 1. Cor.* 13. de Caritate. *Pars* II. *Capitum* totidem incipit: *De his qui edificant super fundamentum quod est Christus* &c. *Pars* III. *Capitum* XXIV. orditur de tribus Silentiis in illud *Sap.* 18. *Cum medium silentium tenerent omnia*, et exit in prolixum *Augustini super Genesim* locum, qui terminatur: *in ara cordis. igne feruide karitatis.* Autor, ut videtur, Monachus sua numeris amat includere; ita identidem legas: *Tria sunt, quae* &c. *Quatuor sunt, in quibus* &c. *Septem sunt, quorum* &c.

CCCXXXI.

Codex membraneus lat. Sec. 410
XIII. Folior. 73. 4. commode perscriptus *Libros* IV. *An. Manl. Sev. Boethii* Scriptoris Sec. VI. *de Trinitate* cum *Commentario* ita continet, ut columna interior angusta *Textum*, exterior lata *Expositionem* repraesentet. Est vero *Expositio* haec, quod quidem *Codex* tacet, *Gilberti*, non Abbatis *Ursicampi* O. Cist. ut e *Jac. Phil. Bergomensis Supplem. Chronic.* refert *Vischius* in *Bibl.*

Cist.